Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



224

fuisse traditores contra ipsa gesta. Illi quia non habebant quod dicerent falsa esse dixerunt sed nullo modo probare potuerunt.
Insuper etiam confessi sunt uel potius pro magna gloria professi sunt caecilianum apud constantinum imperatorem a suis precessoribus accusatum.
Et addiderunt mendacium quod illis accusantibus fuerit ab imperatore damnatus. Ecce et hinc uincti sunt unde uobis solent nebula serroris offendere. concitantes nobis inuidiam et in odium uestrum nos adducentes quia ecclesiae causam apud imperatores agimus. Ecce maiores eorum de quorum nominibus gloriantur. Ecclesiae causam egerunt apud imperatorem. persecuti sunt accusando cecilianum apud imperatorem damnatum dixerunt. Iam non uos inducant uanissimis et mendacissimis uerbis. redite ad cor uestrum. tam et ad nostrum. cogitate ueritatem. relinquite falsitatem. Quicquid enim iam passi fueritis imperialibus legibus quod non pro iustitia sed pro iniquitate patimini non poteritis dicere. ideo nos esse iniustos quia sic uobiscum agi non debuit. ut imperator uos ab ista iniquitate conpescere. Cum enim uestri confessi sunt maiores suos sic egisse cum ceciliano quomodo uobiscum agi non uultis. Et tamen quod caecilianum apud imperatorem persecuti fuerint etiam ipsi confitentibus et profitentibus satis constitit.
Quod autem caecilianus fuerit ab imperatore damnatus omnino non constitit. Immo etiam constitit eum accusantibus et persequentibus maioribus eorum. et bis numero prius ab episcopis et ab ipso postea imperatore fuisse purgatum. Hoc etiam ipsi confirmauerunt talia postea quasi pro causa sua proferendo ut magis contra ipsos esse inuenirentur et pro causa caeciliani etiam illa que protulerunt recitarentur. Quoscumque ergo accusare uoluerunt nullis certis documentis probare potuerunt. Quicquid autem nos et pro ecclesiae causa et pro ceciliani causa diximus et uerbis suis et lectionibus a se prolatis etiam ipsi confirmauerunt. Nam protulerunt primo codicem optati unde quasi probarent caecilianum ab imperatore damnatum.